(17)

Capita XII. Reformationis proposita, consideranda Patrib. die XI. Martij 1562

I Considerent Patres quae ratio iniri possit, ut Patriarchæ, Archiepi, Episcopi et cæteri omnes animarum curam habentes in suis Ecclesijs resideant, et ab cis non nisi iustis, honestis, necessarijs, et Ecclesiæ Catholicæ utilib. de causis absint.

II Item an expediat, ut nemo ordinetur ad sacros ordines, nisi ad certũ aliquem beneficij titulum. Compertum est enim multas cõmitti fallacias, ex eo quod plerique ad titulum Patrimonij ordinantur

III Et quod Ordinantes nihil omnino recipiant pro collatione quorumcunque ordinũ neque etiam eor. ministri, aut Notarij

IV An sit eisdem concedendũ, ut de præbendis non servientiũ possint distributiones quotidianas constituere, in illis Ecclesijs, in quib. nullæ sunt distributiones, aut ita tenues, ut negligantur

V An Parochiæ omnes, quæ ob suam amplitudinem plures requirunt sacerdotes, plures etiam debeant habere titulos, ab Ordinario instituendos

VI Beneficia quoque curata, quæ idonea provisione victus sacerdotalis carent, an sint reformanda ita ut ex plurib. titulis, unus tantum ab Ordinario constituatur

VII Cum Rectores Parochialiũ multi sunt parum idonei, qui vel ob imperitiam, aut vitæ turpitudinem destruant potius, quam edificent subiectũ sibi gregem, et deteriores aliquando habeant Vicarios, videndũ est quomodo huic malo medendum foret. Num expediret eis dari Coadiutorem, sive Vicariũ idoneũ cum assignatione fructuum arbitrio Ordinarij

VIII Ordinarijs an sit concedendũ, ut beneficia, et capellas vetustate collapsas, quæ ob paupertatem restaurari nequeunt, in matrices Ecclesias transferre possent

IX An decernendũ sit beneficia cõmendata etiam regularia visitari ab Ordinarijs, et corrigi

UGR Biblioteca Universitaria

X Matrimonia clandestina an in futurũ debeant declarari irrita esse et nulla.

XI Quę conditiones sint declarandę ad hoc, ut matrimoniũ non dicatur clandestinũ, sed in facie Ecclesię contractum.

XII Deniq. magnopere considerandũ esset quid constituendũ sit circa quęstor. non parvos abusus

UGR Biblioteca Universitaria